



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Romæ, MDCCXVIII**

Casus III [i. e. IV]. Argumentum. Ad validitatem donationis Jurispatronatus
favore Laici requiritur consensus Episcopi, & non sufficit consensus Vicarii
Capitularis, Sede Vacante, aut Vicarii ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](#)

pauper ali deberet à donatario, & sic cùm haberet aliunde vivere non posset peti ab Ecclesia Patronali alimenta, secus in casu præsentि, quo ultimus de familia donavit solum juspatronatus, & in quo talis donatio non fuit causa suæ paupertatis, ut advertunt Abb. in cap. Propter de donat. num. 3. Crott. conf. 76. num. 21.

17 Quis autem esset præferendus in percepcione alimentorum si tam donans, quām Donatarius jurispotnatus esset Pauper? Uidetur dicendum in hoc casu esse præferendum donatarium, ut sentire videtur Lambertin. de jure pat. lib. 3. qu. 3. art. 13. num. 2. ibi -- Concluderem in præsenti articulo, quod si Patronus transfultus juspatronatus in alium, adeò quod Ecclesia non efficiatur libera, quod in illum sunt translata omnia ista jura, & illum fore alimentandum si deveniret ad inopiam, & non transferentem juspatronatus, quia nimis um gravaretur Ecclesia --

18 At contrarium verius de jure procedere sentio; Etenim vel Ecclesia Patronalis habet redditus superfluos sufficentes pro alimentis utriusque, nimis donantis, & donatarii jurispotnatus, & debet utrique præstare alimenta, ultimo quidem de familia donanti pauperi ex debito, & obligatione ex Canone, alteri verò extra-neo donatario, ex misericordia, & quadam æquitate, adeout Rector Ecclesie benefaceret præferre illum cæteris pauperibus: vel habet redditus superfluos sufficentes solum pro alimentis unius personæ, & tunc debet præstare alimenta ultimo de familia donanti juspatronatus, & hunc extraneo donatario præferre propter supradictas rationes, videlicet quia in hujusmodi donatione jurispotnatus comprehensa non sunt alimenta, nec poterant comprehendendi, Ultimus de familia donans juspatronatus non habebat aliunde vivere, aliter prefata donatio esset nulla, cùm nequeant futura alimenta cedi, & renunciari, aliás esset indirectè le ipsum necare, & fame perire. *Donad. de renunciat. cap. 4. num. 57. & seqq. tom. 1. Covarr. de Matrim. par. 2. cap. 8. §. 6. num. 4. R. P. D. Petra ad Constit. Apostolic. unic. Honorii II. scilicet 2. tom. 1. pag. 597. num. 58. §. Ita etiam & in Comment. ad Constit. Gregorii IX. num. 13. tom. 2. pag. 541.* Lambertinus autem in contrarium adductus procedit in-

casu, quo transferens juspatronatus haberet aliunde vivere.

ARGUMENTUM.

Ad validitatem donationis Jurispotnatus favore Laici requiritur consensus Episcopi, & non sufficit consensus Vicarii Capitularis sede vacante, aut Vicarii Generalis, absque speciali manda-to; secus in donatione Jurispotnatus facta Compatrono, aut Ecclesiæ. Et an hujusmodi consensus Ordinarii intervenire possit ex post facto, & retro-trahi ad diem donationis?

SUMMARIUM.

- 1 Patronus per donationem à se abdicat juspatronatus, illudque transfert in Donatarium.
- 2 Vicarius Capitularis an confirmare possit donationes jurispotnatus? & n. 15.
- 3 Consensus Episcopi non requiritur, ut interveniat in ipso actu donationis, sufficit si ex post interponatur.
- 4 Enumerantur modi, quibus fieri potest donatione jurispotnatus à Patrono.
- 5 Consensus Episcopi non requiritur in donatione jurispotnatus cum universitate bonorum, aut favore Ecclesiæ, aut favore Compatroni facta, & num. 6. & 7.
- 6 Non requiritur consensus Ordinarii in translatione jurispotnatus facta per Universitatem Patronam non directè, sed consecutivè.
- 7 In donatione jurispotnatus facta à patre favore filii, an requiratur consensus Ordinarii.
- 8 Requiritur consensus Episcopi in donatione jurispotnatus de per se directè facta Laico omnino extraneo.
- 9 Qui consensus præstari potest per Episcopum extra proprium territorium, & non requiritur, quod sit expressus, sufficit tacitus; & ex quibus presumatur? Vide ibi.
- 10 Requiritur consensus Episcopi in donatione jurispotnatus de per se directè facta Laico omnino extraneo.
- 11 Requiritur consensus Episcopi in donatione jurispotnatus de per se directè facta Laico omnino extraneo.
- 12 Tacitus consensus Ordinarii, an excludatur per expressum subsequenter reportatum, à Donatario?
- 13 Donatio jurispotnatus facta Laico omnino extraneo absque consensu Ordinarii est nulla.
- 14 Patronus ante confirmationem Ordinarii potest

- potest iterum alteri donare juspatronatus, aut præsentare, imo & donationem revocare. Intellige ut ibi. Et ejus præsentatio est admittenda, & præferenda, præsentationi factæ à Donatario.
- 16 Vicarius Generalis non potest confirmare, donationes jurispatronatus, etiam absente Episcopo, absque hujus speciali mandato.
- 17 Hujusmodi speciale mandatum in Vicario Generali, ex quibus præsumatur?
- 18 Consensus, seu confirmatio Episcopi obtenta à Donatario jurispatronatus post præsentationem factam à Patrono Donante, ei non suffragatur pro ea vacatione, sed solum pro futuris vacationibus.
- 19 Episcopus in præjudicium præsentati à Patrono Donante, cui medio tempore fuit jus quæstum, non potest confirmare donationem jurispatronatus.
- 20 Consensus, seu confirmatio Episcopi an, & quando retrotrahi possit ad diem donationis.
- 21 Juspatronatus, seu jus nominandi ad Capellianas merè laicales, aut ad alia legata pia transferri, & donari potest absque consensu Ordinarii.
- 22 In translatione, seu donatione jurispatronatus Ecclesiæ non sufficit consensus Ordinarii, sed requiritur beneplacitum Apostolicum.

C A S U S I V.

Sede Episcopali vacante donavit Patronus Ecclesiæ A. juspatronatus, quod in ea jure hereditario possidebat, Titio Laiico, & omnino extraneo, cum approbatione Vicarii Capitularis. Deinde provisa sede Episcopali de novo Episcopo, & succedente hoc interim vacatione ejusdem Ecclesiæ Patronalis, Patronus donans præsentavit ad illam quemdam Sacerdotem; è contra Titius donatarius præsentavit aliam personam idoneam, ac postmodum obtinuit confirmationem, & approbationem hujus donationis à novo Episcopo. Quæritur quænam præsentatio in hoc casu sit præferenda?

Prima facie concludendum videtur esse præferendam præsentationem factam à Donatario, ejusque præsentatum esse ab Episcopo in dicta Ecclesia instituendum, ad exclusionem præsentati à Patrone donante.

- 1 Patronus namque per supradictam donationem à se abdicavit juspatronatus, illudque transtulit in Donatarium; unde non potest amplius præsentare, & contra donationem à se factam venire, sed præsentatio totaliter spectabit ad Donatarium, ac proinde ab hoc præsentatus venit instituendus. Rot. decis. 803. num. 12. coram Emerix jun. & in Derthonen. Beneficii S. Catharinae 20. Aprilis 1708. §. Nec movit coram R.P.D. Polignac.
- 2 Neque adversus hujusmodi donationem opponi valet defectus consensus, & confirmationis Episcopi. Tum quia statim ac sequuta fuit donatio, confirmata fuit à Vicario Capitulari, qui cum sede vacante succedat in jurisdictionibus Episcopi, ad Text. in cap. is, qui de ma. & obed. & cap. cùm olim eod. tit. in 6. & cap. i. nè sede vacante in 6. Fagnan. in cap. bis, qua de maior. & obed. num. 49. Card. de Luc. de Regul. disc. 64. nu. 18. & in annot. ad Concil. disc. 31. num. 1. videtur posse validè consentire, & confirmare donationes jurispatronatus, juxta sensum Calderini conf. 3. de jurepatr. num. 1., quem sequi videtur Robt. de Curt. de jurepatr. verb. pro eo num. 24. Tum quia accessit etiam consensus, & confirmatio Episcopi ex post, dum Titius Donatarius jurispatronatus post expletam præsentationem Rectoris ad Ecclesiam A. Patronalem vacantem, obtinuit à novo Episcopo consensus, & confirmationem donationis, quod sufficit ad hoc, ut hæc donatio dicatur valida, & apta abdicandi juspatronatus à Donante, & illud transferendi in
- 3 Donatarium, ea ratione, quia cum consensus Episcopi in donatione Jurispatronatus non requiratur per modum auctoritatis, nec per modum solemnitatis, sed per modum simplicis consensus, eo quia Episcopus debet inquire, an donatio expediatur Ecclesiæ, vel non, & an adsit fraus, vel fiæ venditio, non est necesse, ut interveniat in ipso actu donationis, sed sufficit si ex post interponatur, dum retrotrahitur ad diem donationis. Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. q. 1. art. 16. Capon. discept. 12. num. 29. to. 1. & discept. 193. num. 8. tom. 3. Palm. alleg. 77. num. 5. tom. 1. Rot. decis. 101. num. 7. par. 7. rec. & decis. 255. num. 5. coram Cerro, & in Recanaten. beneficij 9. Maii 1701. §. Cessat co-

ram

ram R.P.D. Lancetta. Quia retrotrahitur ad diem donationis. Antunez de donat. Reg. lib. 3. cap. 28. num. 43. Rub. annot. ad decis. 46. num. 68. par. 9. rec. & decis. 177. num. 7. coram Peutinger. & decis. 455. n. 6. & 12. coram Cerro, Adden. ad decis. 702. num. 10. coram Buratt. & in Melevitana, jurispatronatus 13. Maij 1707. §. Parumque coram R.P.D. Kaunitz.

Verum his non obstantibus censeo præsentationem factam à Donante esse præferendam, & ab eo præsentatum esse instituendum in hac vacatione Ecclesiae Patronalis.

4 Pro cuius veritatis assequutione præmitto multipliciter fieri posse donationem Jurispatronatus à Patrono. Patronus namque donare potest Juspatronatus cum universitate bonorum, & potest illud donare de per se; de per se autem potest illud donare Compatrono, Ecclesiae, aut Laico; & quidem potest donare Laico non directe, sed consecutivè, vel Laico proximè successuro juripatronatus, vel Laico simpliciter.

5 Si Patronus donet juspatronatus non de per se, sed cum universitate bonorum, cuicunque illud donet, pro validitate hujus donationis non requiritur consensus, confirmatio, aut approbatio Ordinarii. Rob. de Curt. de jurepatr. verb. pro eo num. 4. Fagnan. in cap. ex literis de jurepatr. num. 45. Card. de Luc. de jurepatr. disc. 19. num. 14. & disc. 56. num. 6. Vivian. codem tract. lib. 4. cap. 1. num. 15. Olea de cession. jur. tit. 3. q. 8. num. 26. Capon. discept. 193. num. 9. & 53. tom. 3. Rot. in Lunen Sarzanan. Beneficiorum post Bertacbin. vot. dec. cis. 47. num. 5. Sicuti non requiritur idem consensus, & confirmatio Ordinarii si donet juspatronatus de per se Ecclesiae, aut personæ Ecclesiastice intuitu dignitatis, vel officii Ecclesiastici. Fagnan. in cap. querelam de eleft. num. 23. & in cap. cùm propter de jurepatr. nu. 16. Card. de Luc. de jurepatr. disc. 56. num. 13. Gratian. discept. 107. num. 2. Tondut. quæst. benef. cap. 54. num. 13. tom. 1. Duran. decis. 463. num. 3., & dixi superius in Comment. conclus. 2. Aut

7 si donet illud de per se Compatrono. Cardin. de Luc. de jurepatr. d. disc. 56. num. 13. Gratian. discept. 577. num. 37. Capon. discept. 12. num. 32. tom. 1. Rot. decis. 101. n. 5. par. 7. Add. ad dec. 420. n. 7. cor. Ludovis.

8 Neque requiritur idem consensus si Universitas Patrona transferat Juspatronatus, seu jus præsentandi de per se in Laicum non directe, sed consecutivè illum nimirum aggregando in Collegium. Lambertin. de jurepatr. par. 1. q. 3. art. 17. num. 11. quem refert, & sequitur Rot. in Syracusana Præposituræ 5. Decemb. 1696. §. Abfque eo quod, coram bon. mem. Muto.

9 Si verò pater Patronus donet Juspatronatus de per se proprio filio intuitu illius personæ, non verò dignitatis, aut officii Ecclesiastici, quod ipse filius gerat; pro validitate hujus donationis requiri consensus Ordinarii sentit. Rot. decis. 231. par. 2. num. 3. apud Caput aquen. cum qua pertransirent Gratian. discept. 577. nu. 38. Rot. decis. 238. num. 8. par. 10. rec. ea ratione, quia filius vivente patre nullum jus habet in Jurepatronatus hereditario, neque est Compatronus, sed se habet ad instar extranei. Contrariam tamen sententiam sequitur Card. de Luc. de jurepatr. disc. 56. num. 14. quam censeo veriorem, quia licet filius respectu Jurispatronatus hereditarii non sit hæres necessarius, cùm pater in testamento possit illud omnino extraneo relinquere, tamen dicitur proximè successorus, adeout donatio ipsa se habeat ad instar præventivæ successionis, in qua non requiritur consensus Ordinarii; & quia in hac donatione cessat illa ratio, ob quam requiritur consensus Ordinarii, videlicet suspicio simoniæ, vel fraudis.

10 Requiritur tamen indispensabiliter ad validitatem donationis consensus, & confirmatio Ordinarii, in cuius Diœcesi sita est Ecclesia, aut Beneficium Patronale, si Patronus donet Juspatronatus sive erectum, sive erigendum de per se directe Laico omnino extraneo, juxta supradictos Canones, & auctoritates in Commentario deductas, quibus addo Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. 1. nu. 17. & 34. Rodulphin. alleg. 31. num. 1. Capon. discept. 12. num. 26. tom. 1. Palma alleg. 77. num. 4. tom. 1. Olea de cession. jur. tit. 2. q. 5. nu. 3. Tondut. quæst. benef. cap. 54. num. 3. tom. 1. Mantic. decis. 86. num. 5. Duran. dec. 463. num. 1. & 4. Rot. decis. 337. num. 4. par. 2. rec. Adden. ad decis. 46. num. 57. par. 9. rec. & decis. 555. num. 1. par. 3. & decis. 420. num. 1. & 7. coram Ludovis. & decis. 177. num. 5.

num. 5. coram Peutinger. & in Malevitana jurispatronatus 13. Maij 1707. §. Nec obstat coram R.P.D. Kaunitz, & resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in Dubio jurispatronatus 13. Aprilis 1680. Lib. Decr. 31. pag. 96.

11 Qui consensus necessarius ad validitatem hujusmodi donationis potest praestari per Episcopum extra proprium territorium, cùm confirmare donationem jurispatronatus sit actus voluntariae jurisdictionis. Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. annot. 26. §. unic. num. 7. & non requiritur, quòd sit expressus, sufficit enim tacitus, qui præsumitur primò, si donatio fiat præsente Episcopo, & isto non contradicente. Capon. discept. 12. num. 31. tom. 1. Secundò, ex presentationibus factis à Donatario, & ab Ordinario admissis, Lambertin. de jurepat. par. 2. lib. 1. q. 1. art. 7. num. 5. Gratian. discept. 303. num. 24. in fin. Rot. decis. 555. nu. 3. par. 3. rec. & decis. 177. num. 6. coram Peutinger. & decis. 803. num. 13. & seqq. coram Emerix jun. Adden. ad Gregor. decis. 420. sub nu. 7. vers. sic. Item sufficit, Ro. in Majoricen. Beneficii 28. Novembbris 1704. §. Non obstat coram bo. me. Muto, & sentit Sacra Congregatio Concilii in Nullius, seu Firmana 5. Febr. 1650. Lib. Decr. 19. pag. 25. Tertiò, ex solo lapsu 40. annorum cum observantia. Lambertin. ubi supra art. 8. num. 1. Vivian. eod. tract. lib. 4. cap. 4. num. 74. Adden. ad Gregor. d. decis. 420. num. 7. vers. verum, Rot. decis. 803. num. 13. coram Emer. jun. & in Compostellana Parochialium 13. Martii 1716. §. Insubsistentiam coram 12 R. P. D. Ansaldo. Nec tacitus iste consensus Ordinarii excluderetur per expressum consensum donationis subsequenter reportatum à Donatario, quia diceretur reportatus, & procuratus ex abundantia, & ad majorem cautelam, & propterea non præjudicaret. Gratian. discept. 141. num. 13. Rot. decis. 830. nu. 24. coram Dunozett. & decis. 905. coram Cerro, & alii apud Rot. in dicta Majoricen. Beneficii 28. Novembbris 1704. §. final. coram Muto.

13 Hoc præmisso jam clare appetet ratio, & veritas præfatae conclusionis, quia nimurum cum donatio jurispatronatus fuerit facta à Patrono non intuitu Ecclesie, nec favore Compatroni; Sed de per se,

& directè Laico omnino extraneo; absque consensu Ordinarii, ipsa dicitur nulla, nullumque jus per eam abdicatum fuit à donante, & acquisitum Donatario. Ac 14 proinde poterat Patronus, aut etiam ejus hæres post illius mortem, non obstante donatione validè præsentare, imò juspatronatus iterum alteri donare Rot. decis. 18. lib. 2. coram Puteo, & decis. 337. num. 2. par. 2. & decis. 258. num. 5. par. 9. recent. Adden. ad decis. 46. num. 62. & 64. par. 9. recent. & ad Gregor. decis. 420. n. 7. & fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in Melphiten. 4. Maij 1647. lib. decr. 16. p. 519. Et primam donationem revocare nisi munita fuerit juramento de eam non revocando; Etenim si Patronus donaverit juspatronatus cum juramento non revocandi donationem, nec ei umquam contraveniendi, donatio ratione talis juramenti ex parte Patroni Donantis erit irrevocabilis etiam ante confirmationem Ordinarii, Rot. decis. 549. num. 4. & decis. 593. num. 3. coram Emerix jun., & decis. 80. num. 5. & seqq. par. 17. rec. & in Lunen. Sarzanen. Beneficiorum apud Bertachin. vot. decis. 47. num. 24. Nec donanti esset concedenda absolutio à tali juramento ad effectum agendi contra propriam donationem, cùm illud sit ex omni parte licitum Abb. in cap. cùm contingat de jure juran. num. 21. Adeout præsentatio, facta à Patrono donante, est admittenda, & præferenda præsentationi donatarii nullum præsentandi jus habentis in hac vacatione beneficii, seu Ecclesie patronalis, juxta Calderin. conf. 6. de jurepat. num. 1. Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. quæst. 1. art. 17. num. 10. Card. de Luc. de jurepat. disc. 56. num. 10. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 303. num. 9. Rodulphi. alleg. 32. num. 7. Mantic. dec. 86. num. 7. Rot. decis. 277. num. 12. coram Bich. Adden. ad decis. 420. num. 7. coram Ludowis. & decis. 337. num. 7. par. 2. rec. & decis. 652. num. 14. & 17. coram Coccin., & decis. 620. num. 1. coram Emerix jun., & in Melevitana jurispatronatus 13. Maij 1707. §. Nec obstat coram R.P.D. Kaunitz.

15 Non obstat, quòd hujusmodi donatio fuerit confirmata à Vicario Capitulari; Quoniam Vicarius Capitularis, seu Capitulum sede vacante facultatem non habet confirmandi donationes jurispatronatus

- natus Barbos. de offic. , & potest. Episcopi par. 3. alleg. 71. num. 24. Vivian. de jurepat. lib. 4. cap. 1. num. 26. Pellegr. in. prax. Vicar. par. 1. sect. 4. subsect. 3. nu. 22. Ciarlin. controv. for. lib. 1. cap. 107. num. 84. cùm ipsum sede vacante non succedat in jurisdictione Episcopi voluntaria, uti est actus confirmandi has donationes, sed in necessaria tantum Gloss. in Clement. 1. verb. Capituli de heretic. Fagnan. in cap. Illa ne sede vacante num. 13.
16. Immò nec ipsemet Vicarius Generalis Episcopi etiam absente Episcopo potest validè confirmare, & autorizare similes donationes, nec explicitè, nec implicitè, instituendo scilicet præsentatum à Donatario, nisi habeat ab Episcopo specialē mandatum, quia absentia Episcopi non dilatat facultatem Vicarii nisi in casibus à jure expressis Text. in cap. Nullus de tempor. ordin. in 6. Gratian. discept. 303. n. 10. & seqq. Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 71. num. 25. Vivian. de jurepat. lib. 4. cap. 1. num. 25. Palma. alleg. 77. num. 4. tom. 1. Rot. decif. 576. num. 1. par. 1. recent. & decif. 257. num. 1. & 337. nu. 5. par. 2. recent., & decif. 555. num. 1. & 3. par. 3. rec. Adden. ad decif. 46. num. 73. & 76. par. 9. recent. & decif. 277. num. 3. coram Bich. & decif. 420. num. 2. & 8. coram
- 17 Ludovis.: Quod speciale mandatum, seu facultas specialiter delegata ab Episcopo omnino necessaria pro autorizandis donationibus jurispatronatus præsumitur in Vicariis Generalibus ex consuetudine, & observantia, seu ex pluribus confirmationibus donationum jurispatronatus per Vicarios factis per spatium multi temporis Mantic. decif. 86. num. 10. Rot. dec. 598. num. 12. par. 1. divers. & decif. 536. sub num. 3. par. 1. rec. Adden. ad Gregor. decif. 420. num. 8. & in Majoricen. beneficii 28. Novembri 1704. S. Minimè coram Muto.
18. Minusque attendi valet pro validitate ejusdem donationis consensus, & confirmatio novi Episcopi illius Diœcesis, in qua situm est Beneficium Patronale, siquidem cùm hæc confirmatio fuerit successivè obtenta à Donatario, tempore non habili, nimurum post præsentationem factam à Patrono Donante; Et sic postquam fuerit medio tempore jus quæsumus præsentato à Patrono suffragari non pos-
- test Donatario pro ea vacatione, sed solum pro futuris vacationibus; Rot. decif. 177. num. 3. coram Peutinger. & decif. 140. num. 4. post Vivian., & in Lunen. Sarzanen. Beneficiorum post Bertachin. vot. decif. 47. num. 25., & in Recanaten. Beneficii 9. Maij 1701. S. Quin relevet coram R.P.D. Lancetta. Imò Episcopus in præjudicium presentati à Patrono, cui medio tempore erat jus quæsumus non poterat consentire, & confirmare dictam donationem jurispatronatus. Rot. dec. 463. num. 7. coram Duran. & decif. 255. num. 7. coram Cerro; Et ejus consensus, & confirmatio subsequuta, re amplius non integræ post videlicet præsentationem exaratam à Patrono donante retrotrahi nequit ad diem donationis in præjudicium præsentati, cui ante confirmationem fuit jus quæsumus, Rodulphin. alleg. 32. num. 7. Rot. dec. 277. n. 14. coram Bich.
20. Quoniam retrotractio consensus, seu confirmationis Ordinarii omnino requiritæ ad validitatem donationis jurispatronatus favore Laici locum dumtaxat habet re integra, seu quando medio tempore non est alteri jus quæsumus; Aut etiam quando Donatarius petierit ab Episcopo confirmationem donationis, & Episcopus neglexisset illam præstare, aut sine justa causa confirmare recusasset, & Donatarius contradictioni Episcopi non consensisset, sed recursum habuisset ad Superiorem; tunc enim si Patronus donans præsentaret, aut alteri donaret juspatrionatus, confirmation subsequita retrotraheretur ad diem donationis in præjudicium medio tempore præsentati, aut secundi Donatarii, ut expressè docent. Lambert. de jurepat. lib. 1. par. 2. quæst. 1. art. 21. num. 3. Card. de Luce codem tract. disc. 56. num. 12. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 303. num. 10. Mantic. decif. 86. n. 7. & seqq. Adden. ad decif. 46. num. 72. par. 9. recent. & ad decif. 702. num. 11. coram Burat. Rot. decif. 277. num. 15. coram Bich. & in Melevitana Beneficiorum 10. Junii 1712. S. Quod autem coram R.P.D. Aldrovando superius impress. Part. I. Can. V. Cas. XIII. num. 26. Non verò locum habet re non integra, & quando fuit alteri medio tempore jus quæsumus; Sic si Patronus post primam donationem jurispatronatus favore Laici donaret idem juspatrionatus

Com-

Compatrono, aut Ecclesiae, seu loco pio, & deinde superveniret consensus, aut confirmatio Ordinarii, iste consensus superventus retrotrahi non posset ad diem primæ donationis in præjudicium compatrioi, aut Loci pii secundi Donatarii, quibus statim acquisitum fuisse jus, sed sustineretur secunda donatio in præjudicium primæ, ut in terminis secundæ donationis favore compatrioi testantur *Roch. de Curt. de jurepat. verb. ipse, velis num. 36. in fin. Lambertin. codem tract. lib. 1. par. 2. quaest. 1. art. 17. num. 10. & art. 19. Rot. decis. 463. num. 5. & seqq. coram Duran.* & *decis. 277. num. 13. coram Bich.*, & *decis. 306. num. 7. par. 11. rec.*; Et in terminis secundæ donationis favore Ecclesiae, aut loci pii tueruntur *Tondut. quaest. benef. cap. 34. num. 14. & seq. tom. I. Capon. discept. 22. num. 12. tom. I. Duran. dicta decis. 463. num. 7. & seq.* Sic etiam si Patronus donator, aut ejus hæres, iterum donaret ante confirmationem Ordinarii alteri juspatoratus, & ista secunda donatio esset confirmata ab Ordinario; Aut si transferret juspatoratus in hæredem cum generali successione, & deinde accederet confirmatio primæ donationis, hæc retrotrahi non posset in præjudicium secundi douatarii, aut hæreditis, *juxta Abb. quaest. 5. num. 5. Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. quaest. 1. art. 17. num. 10. & 16. Rodolphin. alleg. 31. num. 4. & seq. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 303. nu. 8. & seq. Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 70. num. 21. Rot. dec. 277. n. 13. coram Bich.*

Hic tamen notandum venit supradicta procedere in jurepatronatus Beneficii Ecclesiastici; non vero in jurepatronatus, seu jure nominandi ad Cappellanias mere laicales, seu legata pia; quoniam jurepatronatus, seu jus nominandi ad hujusmodi Cappellanias, aut ad alia legata pia validè alienari, transferri, & donari potest cuicunque personæ absque consensu, & auctoritate Ordinarii; quia Canonies isti loquuntur solum de jurepatronatus Beneficiorum Ecclesiasticorum, non vero de jurepatronatus similium Legatorum, ut animadvertisit *Card. de Luc. de jurepat. disc. 53. num. 2.* Procedere etiam in jurepatronatus mere laicali; non vero in jurepatronatus Ecclesiastico; Quia ad ya-

Pars II.

- 2 luditatem donationis, & alienationis jurepatronatus Ecclesiastici favore cuiuscumque personæ sive Laicæ, sive Ecclesiasticæ, sive Compatronæ, sive omnino extraneæ hodie non sufficit consensus Ordinarii, sed requiritur Beneplacitum Apostolicum *juxta Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan. & docent Turrice. de reb. Eccles. non alienan. cap. 8. num. 13. Rot. decis. 1312. coram Seraph. & dec. 191. num. 8. par. 5. & decis. 129. num. 16. par. 7. recent. & decis. 533. num. 15. coram Emery jun. & notavi superius Part. I. Can. VII. Cas. Unic. num. 8.*

ARGUMENTUM.

Donatio Jurispatronatus facta à Sene, an, & quando sustineatur, & an in donatione Jurispatronatus requirantur solemnitates statutariæ?

S U M M A R I U M.

- 1 *Senes æquiparantur pueris, & dicuntur repuere scire; sed quomodo hoc procedatur? Vide num. 7.*
- 2 *Donatio jurispatronatus facta ad preces Donatarii an sit simoniaca? & n. 13.*
- 3 *Donatio jurispatronatus non servatis solemnitatibus statutariis an sustineatur? & num. 14.*
- 4 *Patronus senex potest validè donare jurepatronatus.*
- 5 *Non omnis senectus causat nullitatem donationis.*
- 6 *In dubio quo quisque senior est, eo præsumitur prudentior.*
- 8 *Prætendens nullam donationem jurispatronatus ob senectutem Patroni, tenetur concludentissimè probare de tempore donationis Patronum senem habuisse illam speciem imbecillitatis, & levitatis judicii, quæ causat insufficientiam, & defitum mentis. Amplia ut num. 10.*
- 9 *Quilibet etiam si sit centum annorum præsumitur esse sanæ mentis.*
- 10 *Ex quibus conjecturis excludatur imbecillitas, & levitas mentis in Patrono sene.*
- 11 *Preces non important dolum, & machinationem, neque arctant liberam voluntatem disponentis.*
- 12 *Senes non facilè dolis, & artibus decipiuntur.*

Q q

Sta-